

tra illum populo suo Israel; et tu nunc vis possidere terram ejus; nonne ea, quæ possidet Chamos deus tuus: tibi jure debentur? quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem (2). Porro divinæ hujus ordinationis ad dispensationis signum sat certum, quodque in oculos ac mentes hominum incurrit, censi debet ex parte unius principis longæva, quieta et præsentanea possessio ac pacifica populorum subjectio, ex parte vero alterius defectus contrariæ probationis, qua virium arreptæ possessionis ostenderetur (3). In dubio quidem sufficit vulgata, et naturali æquitate nixa regula: *melior est conditio possidentis*. Atque ita quidem medium istuc tuendæ securitatis in præsumptione potius, quam præscriptione consistit, præsertim cum mala fides etiam præscriptioni obsit, neque ordinario tempore præscribi possint res vitiosæ, quales sunt furtivæ, vi occupatæ, contra legem Juliam repetundarum acceptæ.

(1) *Apud Lactantium divin. Inst. L. V; C. 17.* — (2) *Jud. XI, v. 23, 24.*
 (3) *Zech. de Jur. rer. eccl. Sect. IV, tit. XXII, §. 602.*

CAPUT IV.

Jura et officia hypothetica gentium orta ex pactis et fœderibus.

ARGUMENTUM.

CCLXXXVIII. Pacti et fœderis notio.	CCXCII. Varietas pactorum et fœderum.
CCLXXXIX. Jus paciscendi.	CCXCIII. Fides eorundem.
CCXC. Consensus.	CCXCIV. Cautiones.
CCXCI. Materia.	

§. CCLXXXVIII.

PACTI nomine in jure gentium venit conventio publica, hoc est, a summis potestatibus, sive gentibus qua talibus inita boni publici causa. Pactum, quod de

præstatione non transitoria, sed in perpetuum, vel ad longius tempus fit, appellatur *fœdus*. Jus ineundi pacta et fœdera absolutum est et connatum: id vero, quod ex pacto et fœdere provenit, hypotheticum. Igitur inprimis generalia de pactorum vi et valore principia huc transferenda sunt, quæ circa consensum paciscantium, jus paciscendi, et materiam pacti ac fœderis versantur.

§. CCLXXXIX. Jus paciscendi æque moralibus personis ac physicis attributum est a natura. Etsi enim quævis civitas, societas censeatur perfecta, sibi que ad finem obtinendum sufficiens, nempe ob jura immanentia, ac summum imperium; tamen ob externa præsertim adjuncta, altera alterius auxilio ad conservationem sui, perfectionemque eget, de quo obtinendo, interest cujusvis, ut certa reddatur ope pactorum, fœderumque. Hoc igitur jus sequentibus potissimum conclusionibus continetur:

(a) Ex notione pacti publici ac fœderis jus ea ineundi summis imperantibus duntaxat competit; subditi enim de bono et jure publico qua tali disponere haud possunt, nec jus disponendi, quod majesticum est, citra crimen læsæ majestatis sibi arrogare. Fœdera commerciorum, quæ a subditis aliquando ortum ducunt, vel tacitam approbationem imperantis habent, vel privatis actionibus accensentur, haud secus, ac si socius unius gentis cum extero sive socio alterius gentis ineat contractum, qui non ex jure gentium, sed jure naturæ privato, aut ex jure speciali loci, ubi contractus fit, aut denique ex arbitraria conventionem legem accipit.

(b) Qui regno pulsus est imperans, non continuo amissa possessione regni, jus imperii ac majestatem, proindeque nec jus fœderum amittit, valideque obligare se aliis gentibus, sibi que alias gentes potest. Alius est casus de rege minorenni, quando per leges fundamentales certa ætas administrationi imperii definita est. Conventio enim ante illam ætatem a rege inita non valet.

(c) Pacta cum usurpatore imperii, penes quem administratio est sine jure regni, relate ad populum, qui cum eo contrahit necessitate salutis publicæ, valida sunt, non item relate ad legitimum regem vel successorem, nisi qua parte dein rata habeantur.

(d) Jus paciscendi ex natura profluit, et commune est omnium, quibuscumque naturæ communio est; proinde nec hostes, nec infideles, et alieni a vera religione ab usu et communionem ejus juris exclu-

duntur. Quia vero jus a recto usu juris et facultas moralis agendi ab honestate actionis differt (1); hinc magnopere cavendum, ne ob incertum idque caducum ac temporale bonum, certum sacrosanctæ religioni corrupendæ, multorumque subditorum sempiternæ saluti periculum creetur (2). Ob hanc causam segreganda sunt diversa fœdera. 1. Quæ navigationis, aut commercii causa ineuntur cum infidelibus: 2. quæ contra alium infidelem bello coercendum fiunt (3): 3. aut contra alium fidelem, veræque religioni addictum; quo posteriore casu quis imperans, si quos subditos habet alienos a vera fide, utique ad bellandum adhibere potest. Denique non modo justitiæ causæ, sed etiam necessitas defensionis expendenda est.

(1) §. XIII. (f)

(2) « Cave, inquit Deus ad Moysen *Exod. XXXIV, v. 12.* ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. » *v. 15.* « ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum. » *III. Reg. XI, v. 2.* « De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: non ingredimini ad eas: neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum etc. »

(3) Abram inerat fœdus cum Escol et Aner infidelibus. *Gen. XIV, v. 13.* David in prælio adesse Philistæis volebat contra Israel. *I. Reg. XXIX, v. 2. seq.* Machabæi quoque cum Laconibus et Romanis pepigerunt amicitiam. *I. Mach. XIV, v. 18, 24.*

§. CCXC. Libertas gentium in paciscendo nullis formulis aut subtilitatibus legum positivarum, vel differentiis inter pacta nuda et vestita est alligata. Quapropter solo consensu libero, eoque satis declarato opus est. De quo adnotanda veniunt nonnulla:

(a) A consensu, adeoque et a pacto differunt, 1. *nuda assertio* de præsentis voluntate quidquam promittendi aut præstandi quacum conjuncta est reservatio libertatis animum mutandi, 2. *pollicitatio*, seu promissio nondum acceptata, 3. *tractatus*, et *negotiationes pactitiæ*.

(b) De errore ac dolo, quatenus consensui obsunt, ex principiis juris naturæ privati judicandum est (1). In dubio regula est: *error nocet erranti*.

(c) De nullitate pactorum, quæ vi injusta extorquentur, multo cautius definiendum est in jure gentium, quam privato; quia per ipsam gentium et negotiorum naturam discrimen inducitur. Nam ut actus metu extortus censeatur, requiritur 1. ut moraliter certum sit, eum, qui metum incussit, non habuisse jus id faciendi. 2. Ut sit metus cadens in virum constantem, et cum proportionem in gentem, cujus vires expendendæ sunt. 3. Ut promissum metu initum, cessante metu non sit rati habitum vel per verba expressa vel per

facta consensum subsequentem inferentia. Si jam a gentibus ineuntur pacta pro evitando aut finiendo bello, sæpe, unum, sæpe plura ex hisce deficiunt, quo minus prætextu metus inita pacta violari queant. Dein pacis fœdera sunt pacta publica, quæ si minus justitiæ commutativam, certe legalem inferunt, qua obligatur tota respublica, adeoque cum subditis ipse princeps. Alias turbaretur socialitas et tranquillitas humani generis in perpetuum, nisi per pacta ejusmodi finiretur bellum (2). Accedit, quod in dubio standum sit pro valore actus, et melior sit conditio possidentis; præsertim quando innovari sine gravissimo ejus incommodo nihil potest.

(1) §. LVI. (e.) (f.) (g.)

(2) *Zech de Jur. rer. eccles. Sect. IV. §. 241.* Alii aliter ex principiis juris privati statuunt. At enim intelligi non potest, quomodo in eo, qui metum infert, una consistat et jus ex promisso vi extorto, et obligatio abstinendi a læsione, omnique gravamine; cum ipsum jus, si quod oritur, promittentis gravamen sit. Neque ulla ratione in eo, qui metum patitur, una consistit et obligatio adimplendi promissum et jus perfectum, promissarium cogendi, ne implementum promissionis exigat. *Conf. §. LVIII.*

§. CCXCI. Materia pactorum ac fœderum nec turpis esse debet, neque supra vires gentis paciscentis; secus obligatio moraliter aut physice impossibilis, ac proinde nulla est.

(a) Non valet igitur pactum injuste opprimendi tertiam gentem: nec quod præcedenti alterius gentis pacto, et juri quæsito derogat.

(b) Quia tamen in gentes quoque cadunt actus benefici, eaque suo renunciare juri possunt; idcirco inæqualitas pactorum vi et valori eorundem non obest. Ea inæqualitas facit unam partem paciscentem præ altera digniorem, vel in pacto potiore 1. *quoad præstationem*, si gens potentior imbecilliori auxilium promittit, imbecilliore nihil vel minus promittente; 2. *quoad honorem et dignitatem*, si una gens alterius majestatem cum veneratione conservaturam se promittit, et adjuturam, ut ea salva sit. 3. *quoad potestatem et jura*, si quam imminutionem vel limitationem imperii in pacto aut fœdere admittit.

(c) Si formula fœderis inæqualis ea sit, ut alter fœderatorum injussu vel absque consensu alterius bellum gerere non possit; ea ad bellum *defensivum* non pertinet; turpe etenim est, et juri conservationis propriæ repugnans, juri defensionis suæ renunciare; imo ad inferendas injurias istiusmodi promissum alliceret, perinde ut pactio non agendi de dolo.

§. CCXCII. Partitio fœderum non tam explicanda, quam indicanda est, cum ex ipsa eorum diversa deno-

minatione, quid juris contineant, pariantve, haud ægre concludi possit.

(a) *Fœdera generalia* sen *simplicia* sunt, quæ id constituunt, quod a jure constitutum jam est naturali. Hæc si negativa sint *de non lædendo*, quasi diffidentiam gentis erga gentem et speciem infamiæ præ se ferunt (1), si *affirmativa* de officiis humanitatis exhibendis, eam vim habent, ut imperfecta juris naturalis obligatio transeat in perfectam, præsertim si quod officium in formula determinetur e. g. ut utrinque sit jus hospitii, quatenus istuc jure naturali debitum est. His generalibus respondent ex opposita parte *fœdera specialia*, quæ singularem inter gentes præstationem continent, ceu de delinquentibus mutuo extradendis, de vectigali non solvendo pro mercibus vel non ultra certam quantitatem, de arce in confinio alterius populi non erigenda.

(b) Alia sunt *fœdera pacis*, quæ societatem non bellicam continent, ceu fœdera commerciorum: alia *belli*, eaque offensiva, defensiva, mixta. In dubio censentur *defensiva*; quia naturali civitatum fini, nempe securitati, magis congruunt. Universe fœdera belli *determinata* sunt aut *indeterminata*; uti definitur modus præstandi auxilia, aut gens, contra quam id præstari debet; aut contra.

(c) Durationem fœderum respicit divisio in *perpetua*, et *temporaria*: item in *realia*, quæ ab imperante qua tali, id est, nomine et intuitu civitatis fiunt: et *personalia*, quæ ad personam imperantis referuntur. Cujusmodi censi debent, ex tenore formulæ, ex fine et materia fœderis colligendum est. Aliæ pactorum et fœderum divisiones ex jure naturali privato petendæ sunt.

(1) Hinc pudenda dicuntur istiusmodi fœdera, auctore Pufendorffio, qui *L. VIII. C. IX. §. 2. de J. N. et G.* ita scribit: «Pudere propemodum debebat homines cultos pactum inire, cujus capita nihil aliud contineant, quam ne simpliciter ac directe jus naturæ violetur; quasi citra illud pactum non satis quis officii sit memor futurus.» Conf. *L. 50. D. de Pactis.*

§. CCXCIII. Fides pactorum publicorum ac fœderum sancta est et inviolabilis. *Sanctum et inviolabile* in hac disciplina dicimus, quod, ut ab omni violatione immune sit, communis gentium salus postulat. Hoc modo salus gentium fidem pactorum ac fœderum postulat; cum ea non fiant, nisi de rebus magni momenti, nec violentur sine gravissimis incommodis. Enimvero in communi imperio aut imperante, a quo pacta ac fœdera dimanant, jura et officia civium collecta intelliguntur;

non possunt igitur violari fœdera, quin jura plurimorum hominum simul eodemque tempore violentur: neque gens in servanda fide deesse potest officio suo, quin plurimi cives simul eodemque tempore illi deesse, ac veluti confertam injuriam irrogare censeantur. A fœderibus, fœderumque fide dictos putant *feciales*, quasi præfectos fidei publicæ apud Romanos, quorum interventu et auctoritate publicorum fœderum fides constituebatur. Applicatio hujus theoriæ in iis maxime sita est, quæ sequuntur.

(a) Uti jus paciscendi, ita fides pactorum ad omnes pertinet, quibuscum communio est naturæ intelligentis, ac juris naturalis; ex quo etiam illud jus, et fides dimanant: igitur etiam hostibus servanda est (1); qua in re perfidia a dolo bono, ac stratagemate in bellis permissio omnino segregari debet. Idem referri debet ad eos, qui alieni sunt a patria, religione etc.

(b) In statu naturali pretia rerum maxime a judicio et dispositione contrahentium pendere dicuntur; unde non apparet, quod jure a data fide resilire gens possit ob exceptionem enormis læsionis, nisi res ipsa in pactum deducta in se dolum habeat.

(c) Fides liberanda est existente *casu fœderis*, qui nihil est aliud, quam concursus circumstantiarum seu conditionum, sub quibus pactio, præsertim in fœderibus belli obligat; atque hoc modo obligatio usque ad existentem casum fœderis suspensa manet, quin alterutra pars ante ejus existentiam resilire possit.

(d) Uti singulorum, ita et universorum seu gentium pactis vi naturæ insunt conditiones. 1. Si res non penitus statum suum mutet: 2. si moraliter et physice possibilis sit: 3. ut fœdus posterius intelligatur salvo jure prioris fœderis initum.

(1) Celebre exemplum præbuit Attilius Regulus, de quo fit mentio *L. postlimini 5. §. 3. D. de captivis*; item a Tullio *L. I. officior.*

§. CCXCIV. Accessoriæ pactiones gentium censentur, quæ ad firmandas earum principales conventiones fiunt; suntque reipsa *cautiones*, cæque non unius generis, ceu

(a) *Juramentum*, quo usu gentium antiquissimarum pacta obsignari solent. Putant formulam juramenti religioni cujusque gentis accommodari posse; ac Judæorum ac Turcarum juramenta admit-

tenda esse passim traditur, et usu observatur; cum jurare soleant per Deum verum. Gravior est difficultas de juramentis per deos falsos, in qua enodanda dudum S. Augustinus desudavit (1).

(b) Ob studium cujusque gentis conservandi existimationem et famam, vim habere censentur *asseverationes sub fide regia, sub fide principis, per majestatem regni.*

(c) Nec inter gentes incognita est *fidejussio*, qua gens tertia promittit, a se præstitum iri id, quod gens altera ex pacto debet, nisi id ipsa præstiterit; nec etiam repugnat, quo minus gens tertia alterius obligationem, ut debitor principalis, vel cum altera gente obligationem in solidum recipiat. Priori modo fit *expromittens*, posteriore *correa debendi*.

(d) Peculiaris cautio inter gentes est *guarantia*, seu conventio publica, qua gens genti in securitatem pacti promittit auxilium, si quo eget, contra eum, qui pactum violat.

(e) *Pignoratitia* etiam cautio locum habet, ex jure constituentis pignus, et terminis conventionis æstimanda. Ejus notionem capere licet ex oppignorationibus, quæ olim inter principes Germaniæ invaluerant e. g. Nobilis nummis abundans principi subministrat magnam pecuniæ summam, et quidem irrevocabiliter ex parte creditoris, ita, ut creditor non possit repetere summam capitalem, nisi debitor princeps sponte eam velit reddere. A principe autem debitore vicissim creditor oppidum cum omnibus juribus, fructibus et emolumentis in pignus accipit, eo pacto, ut creditor pignore hoc, quin fructus in sortem imputet, utatur, et fruatur tandiu, donec ab oppignorante debitore reddatur. De justitia hujus contractus inter viros principes ejusdem regni non levis est quæstio, minor futura inter gentes independentes, quæ plus arbitrii habent in æstimandis rerum pretiis et contractuum æqualitate.

(d) Denique cautionis realis et corporalis inter gentes vicem habet *obstagium*, sive pactum, quo cives unius gentis alteri traduntur in securitatem servandæ fidei; qui quidem cives ita traditi *obsides* nuncupantur. Finis igitur obstagii est securitas fidei: ei fini respondet jus detinendi et custodiendi obsidem, atque hujus ipsius obligatio non aufugiendi, sive sua sponte obstagio se obtulerit, sive a suo imperante traditus sit. Nec transfugam gens sua recipere posset absque violatione datæ fidei. Censetur autem libertas oppignorata, non vita obsidis pro casu, quo fides frangeretur; quapropter obsides nequeunt ad mortem condemnari, nisi ipsi delicto suo frangendæ fidei causam dederint.

(1) *Epist.* 154. ubi ita inquit: « qui utitur fide illius, quem constat jurasse per deos falsos, et utitur non ad malam rem, sed ad licitam et bonam, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit... Alia quæstio est, utrum non peccet, qui per falsos deos sibi jurari fecit; quia ille, qui ei jurat, deos falsos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ ipse commemorasti de Laban et Abimelech, si

» tamen Abimelech, per deos suos juravit, sicut Laban per Deum Jacob. Hæc » ut dixi, alia quæstio est, quæ me merito fortassis moveret, nisi illa exempla » occurrissent de Isaac et Jacob, et si qua alia possunt inveniri. »

CAPUT V.

Jura Belli gentium proprii.

ARGUMENTUM.

CCXCV. Notio belli publici

CCXCVI. Ceu extremi remedii.

CCXCVII. Jus belli impugnatum:

CCXCVIII. Gentibus assertum.

CCXCIX. Quæ justa belli causa non sit.

CCC. Usus juris belli.

CCCI. Modus ac forma belli.

CCCII. Socii, auxiliores belli, neutrales.

§. CCXCV.

BELLUM Ciceroni est certatio per vim, Grotio status certantium per vim, qua tales sunt (1); quæ notio etiam privatum bellum, injustam aggressionem, cruentam defensionem, imo et latrocinia comprehendit; sed ob id non continuo rejicienda est; nam priora sunt privata, quam publica negotia et communem cum his naturam habent; et quia de privata æque ac publica violentia, qua quis jus suum persequitur, quæri solet, sitne aliqua justa violentia, seu justum bellum; necessario distingui debet id, quod quæritur, ab eo, de quo quæritur. De privato actum est supra (2). Publicum, seu gentium proprium bellum vocatur illud, quod geritur inter gentes, sive auctoribus iis, qui summum imperium in civitate tenent. Porro civitates potissimum securitatis causa constitutæ sunt, ut ea ob singulorum imbecillitatem conjunctis viribus universorum obtineantur; quapropter dubium non est, quin jus belli in imperantem translatum, eidemque private per se competat. Accedit, quod subditi nec inter se mediis violentis, nec adversus imperantem uti possint (3). Inferes: